THESES ALIQVOT LOGICÆ, ETHICÆ, PHYSICAE, GEOMETRICAE, Sphæricæ, Metaphysicæ, quas adolescentes ad lauream Magist. in familia *Leonard.* Adspirantes in publica disputatione Deo duce in scholis Theologicis Academiæ Andreapolitanæ propugnaturi sunt die Calendas Iulias, Anno Salut. human. 1610.

Præside D. PETRO BRVSIO.

EDINBVRGI,
Excudebat Andreas Hart, Bibliopola.

Nomina propugnatorum.

Alexander Forreſtus.
Andreas Allanus.
Andreas Bruſius.
Andreas Stewartus.
Clemens Kincadus.
Franciſcus Haius.
Franciſcus Macgillius.
Georgius Corbatus.
Georgius Graius.
Georgius Lichtbodius.
Georgius Ramiſius.
Gilbertus Morauius.
Guilielmus Aikmannus.
Guilielmus Kellius.
Guilielmus Scotus.
Guilielmus Strangius.
Hector Monroius.
Iacobus Bortuitius.
Iacobus Gutherus.
Iacobus Rindius.
Iacobus Sibbaldus.
Ioannes Forretus.
Ioannes Moncrifius.
Ioannes Morauius.
Ioannes Robertſonus.
Ioannes Sutherlandus.
Ioannes Torrentius.
Ioannes Willichius.
Patricius Maclachlanus.
Patricius Morauius.
Robertus Brounlifius.
Robertus Heriotius.
Robertus Lauſonus.
Walterus Suentonus.

NOBILISSIMO ADOLESCENTI AC ILLVSTRISSIMO DOMINO Dom. IOANNI METELLANO Thirſtenij Baroni domino de ſe optime merito.

S.

CVM nè condiſcipuli ſcriptionis moleſtia grauarentur, nobiliſsime Domine theſes has typis committere decreuiſſemus, non longæ deliberationis res fuit, ſub cuius vmbra eas in publicum exire vellemus: nam ſiue patronus nobis deligendus eſſet, qui & propter ſingularem in nos benevolentiam vellet, & non vulgarem harum rerum ſcientiam poſſet hoc noſtri ingenij & eruditionis ſpecimen à maliuolorum vnguibus ore dentibus tueri, quibus homines cætera inertes aliorum induſtriam, per ſummam ſecordiam carpunt, vellicant, ſugillant: ſiue quærendus eſſet, cujus ea in nos merita exſtitiſſent, quæ cum alia ratione non poſſemus rependere, hac ſaltem animum rependendi cupidum notum faceremus: nemo tibi, illuſtriſsime domine, conferendus, nedum præferendus videbatur. Nam cum omnium,

ipsam castris meruimus, tu facilè princeps omnes, omnesq; omnibus naturæ, & fortunæ ornamentis longè excelleres: quasi ea bona vel ignorasses, vel contempsisses, humanitate, comitate, affabilitate, facilitate, reliquisque virtutibus, maximè in quibus enitet probitatis laus cum infimo quoque contendisti, præsertim cui aliqua ab industria, & probitate commendatio esset: tanquam illud solum studuisses, vt quanto dignitate reliqui te inferiores essent, tanto tu humanitatis officijs esses superior. Quo toto tempore in reliqua vita ita te gessisti, vt nemo fideliorem operam literis nauaret: neminem præceptorum, & legum obseruantia superiorem haberes, pares paucos. Quibus rebus effectum est, vt omnes tuæ vitæ consuetudinem, & mores amaremus, probaremus: & cum publicis, tum priuatis disputationum exercitationibus, quibus assiduus vel actor vel auditor aderas, acumen admiraremur, eruditionem æmularemur. Fatemur quidem eximiam ingenij ad bonas artes, & literas capessendas felicitatem tibi à clarissimis majoribus quasi hæreditario relictam, præcipue à clarissimo viro Dom. Ioanne Metellano patre tuo regni huius cancellario, à cujus singulari prudentia, & fidelibus consilijs regis adolescentia, & summa resp. pendebant, multũ adjumenti huc contulisse: sed eam tanquã alienum bonum præterimus, dum ea, quæ a teipso sunt magis libet cõmemorare, de quibus suauissimos bonorũ exẽplorum fructus nobis decerpere licuit: quod maximi beneficij loco nostro, et vt putamus omniũ sanorũ iudicio reponendum censemus. Quam vitæ rationem, si solum superioribus annis sequutus fuisses: quibus puer sub lectissimæ & prudentissimæ fœminæ matris tuæ tutela fuisti, nec dum grauissimorum, & tui amantissimorum præceptorum ferula liberatus, omnem hanc probitatem & industriam partim in puerilem metum, partim in præceptorum curam, præcipue in plusquam virilem matris prudentiam merito conferre possemus: sed cum matre è viuis sublata, pueritiæ annos egressus, rerum tuarum, & amplissimi patrimonij dominus factus, omni metu eorum qui vllam in te potestatem habebant solutus, eundem vitæ cursum multo maiore quam antea cura persecutus es: vt quanto maior vitæ dis-

solutioris licentia tibi permissa esset, tanto minorem arripe[re]
clarissimo documento confirmasti, te neq; temere, neq; coactum,
sed certo et constanti animi tui iudicio viam virtutis ingressum.
Nam cum generis nobilitatem & amplissimos maiorum honores
non ad superbiam, & tenuiorum contemptum conuertisti, sed ad
virtutem incitamenta tibi fecisti: non libertatem ad licentiam,
sed ad modestiam, & industriam transtuliſti: diuitijs non ad lux-
uriam, sed ad liberalitatem, & in eos munificentiam vtereris
quibus vel amicitiæ, vel officiorũ ante collatorum, vel educati-
onis, vel quocunq; alio nomine te aliquid debere existimares, cla-
rissime ostendisti te nec puerili impetu, nec fortuito, sed stabili &
firmo consilio, diuini spiritus auspicijs rectam ad vitam beatio-
rem & amplissimos honores viam invasisse. Quæ ut tibi procli-
uis & facilis sit Deum. Opt. max. comprecamur. Vides illustriss.
domine quibus causis adducti hunc qualemcumque nostri inge-
nij fætum honori tuo offerimus, nuncupamus rudem quidem &
pene informem: quem tamen si vultus tui sereniore aspectu illu-
straueris, & gratioris auræ spiritu perflaueris, ei nec pestiferum
inuidorum halitum, nec virulentas maleuolarum linguarum
calumnias, & diras ominationes, nec læthales vrentium ocu-
lorum fascinationes clam nocituras metuimus. Quod, si quis a-
perte, & in arena Philosophica, quibus decet in ludo Philosophi-
co enutritos, armis impetuerit animo experiundi quid robore,
quid arte possit, gratiam habebimus: sin, vt prostratum vel deri-
sui, vel commiserationi exponat, non defuturum nostræ iniuriæ
vindicem speramus, cuius auspicijs, & præsidio nos, & nostrum
tueamur. Vale Domine illust. & vt nostrum ordinem præ-
sentia, exemplo, consilio, opera, re, auxisti, condecorasti, iuvisti, ita
te D. Opt. Maxim. omnibus animi, corporis, fortunæ bonis fæli-
citet, ornet, augeat. Iterum vale. Andræapoli è domo Leo-
nardina prid. Non. Iunias.

Tui honoris studiosissimi

A. L. M. C.



Theſes Logicæ.

1. DISCIPLINÆ notio duplex eſt: nam & Syſtema præceptionum, & mentis habitum ab eo Syſtemate, ortum ſignificat, cujus ipſum Syſtema, Idæa & exemplar eſt, in priore notione nihil aliud eſt, quam perpetua progreſsio, qua minus nota per magis nota oſtenduntur, dum res ſubjecta penitus a nobis, quatenus ipſius natura fert, cognoſcatur.

1 *In omni ergo diſciplina tradenda in primis ſpectandum, vt a diſcenti notioribus progrediatur.*

2 *Diſciplinæ qua traduntur minus proprie per habitus definiuntur.*

2 Diſciplina alia eſt Actiua, alia Effectiua, alia Contemplatiua. Metaph. Lib. 6. Cap. 1.

Manca ergo diuiſio in Contemplatiuas & Actiuas.

3 Diſciplinarum cum actiuarum, cum effectiuarum, in priore notione, id eſt, ſubjectum, qui finis ejus in poſteriore.

Ergo in omni diſciplina primum principium eſt definitio ſubiecti.

4 Actiuas & effectiuas genuit laborioſa in rebus ſingularibus exercitatio. Contemplatiuas accurata rerum indiuiduarum conſideratio. Metaph. Lib. 7. Cap. 4.

1 *Contrario igitur ordine docendæ, quam quo inuentæ ſunt.*

2 *Cum ſingularia, tum vniuerſalia ſunt nobis notiora.*

3 *Effectiuæ & Actiuæ in notione poſteriore vtroque ordine addiſci poſſunt: Contemplatiuæ eodem ſolum, quo traduntur.*

5 Omnes ſcientiæ ens aliquod vt ſubjectum ſpeculantur.

Ergo omnes ſcientiæ quædam communia principia habent.

6 Tot ſunt Philoſophiæ partes, quot ipſæ ſunt ſubſtantiæ. Metap. Lib. 4. Cap. 1.

1 Philoſophia ſtricte accepta partes ſunt Phyſica, & Metaphiſica.

2 Neque Ethica, neque Mathematica Philoſophiæ partes ſunt.

7 Logica eſt diſciplina incognita ex cognitis intelligendi per commoda rationis inſtrumenta.

Subiectum ergo conſiderationis Logicæ adæquatum, eſt ſyllogiſmus, finis ex notis ignota intelligere.

8 Inſtrumenta Logica ſunt ideæ quædam in animo collocatæ e diſciplina Logica genitæ, ad quarum exemplar in primis notionibus quibuſuis ſimilia inſtrumenta formamus.

Eſt ergo notionum Logicarum duplex conſideratio: vna, qua ſine vllo ad primas reſpectu in animo reſidere intelliguntur, qua etiam ratione vniuerſales ſunt: altera, qua in primis ſpectantur: ſecundum conſiderationem omnes ſingulares ſunt: ſecundum hanc in mente pro ſingulis intelligendi actibus de nouo generantur: ſecundum illam tanquam habitus animum ad recte intelligendum diſponunt.

9 Quod eſt cuique cauſa proxima, ut exiſtat, id ipſum eſt cauſa ei, ut ſit hoc, & non aliud.

Ergo *1 Principium & cauſa indiuiduationis (vt loquuntur) eſt cuiuſque forma.*

2 Non quæcunque non ſunt eadem, aliqua differentia diſcrepant.

10 Tot ſunt genera entis, quot modis ens per ſe dicitur de prima ſubſtantia.

1 Ergo decem.

2 Aliud eſt accidens, aliud ens per accidens.

3 Idem re poteſt eſſe in diuerſis Categorijs, nec quæ in diuerſis ſunt, diuerſa re eſſe neceſſe eſt.

11 Dialecticus non tam conſiderat res, quam rerum notiones, & quatenus aptæ ſunt ut prædicentur, & ſubijciantur, & prout in ijs fundantur ſecundæ notiones.

1 In Categ. ut ab Ariſtotele in Logicis conſiderantur, non tam ſunt res quam rerum primæ notiones: quæ nihil aliud ſunt, quam rerum ipſarum ſpecies ſeu imagines in intellectu obiectiue refulgentes.

Ergo *2 Entia rationis non ſunt in Categorijs.*

3 Nec accidentia ſunt.

12 Nulla qualitas accidentalis non eſt in ſubjecto, nulla ſynonymos dicitur.

Ergo differentia ſubſtantiæ non eſt qualitas accidentalis.

13 Corruptibile & incorruptibile non continentur vno genere

nere Vniuoco.

Ergo nec ſubſtantia æterna & caduca.

14 Secundæ ſubſtantiæ ſignificant formam primæ ſubſtantiæ, & interroganti qualis ea ſubſtantia ſit, non minus recte per ſecundas ſubſtantias, quam per differentias reſpondemus.

Merito ergo affirmat Philoſophus ſecundas ſubſtantias ſignificare quale quid.

15 Linea, ſuperficies, corpus, niſi, vt ſignificant ſubſtantiæ primæ longitudinem, latitudinem, & profunditatem, imaginaria omnino ſunt, neq; in rebus locum habent.

Ergo vt a mathematicis definiuntur, in nulla ſunt Categoria, nec vllius rei quantitatem ſignificant: prout nec ſignificant, cum pro terminis accipiuntur ſed tantum negationem vlterioris extenſionis.

16 Pedes metri, qua tales ſunt, interna ratione quanta ſunt: nec in vlla alia Categoria reponi poſſunt, quam in quantitate.

Ergo non tantum ex vſu vulgi, ſed eſſentia ſua quantitates ſunt appellandi.

17 Diſpoſitio eſt ordo ejus quod partes habet, aut ſecundum locum, aut ſecundum formam, aut ſecundum potentiam,

Ergo nec tempus, nec oratio diſpoſitionem habent.

18 Oppoſitio rebus conuenit etiam extra mentem exiſtentibus.

Ergo notio oppoſitorum non eſt ſecunda.

19 Nullum accidens eſt vlla Subſtantia natura prius.

Ergo non omne, a quo non retrocomeat exiſtendi conſequutio, natura prius dicendum eſt.

20 Enunciationes omnes tam quæ in Philoſophia, quam quæ in communi hominum conſuetudine vſurpantur, ſignificant aliquid de aliquo certo & determinato ſubjecto.

Tractatus ergo de enunciationibus ſubiecto infinitis potius ad doctrinæ pompam & amplificationem, quam ad logicum vſum pertinet.

21 Quæ materia non ſunt eadem, non ſunt inter ſe communicabilia.

Enunciationes ergo de finito & infinito ſubiecto nunquam poſſunt vel idem valere vel earum altera alteram conſequi.

22 Cum multi ſint modi, quibus enuntiatio non tantum ſecundum ſubiectum & attributum, ſed et copulam etiam figuretur, tamen quatuor ſunt duntaxat, qui enunciationis habitum in peculiarem quandam figuram tranſmutant.

Recte ergo Ariſtoteles reliquis omnibus omiſsis de quatuor tantum ſpecialem doctrinam inſtituit.

23 Modus ita enunciationis puræ habitum mutat, vt tota ſit ſubiectum

jectum formale, cum interim ſubjectum & attributum materiale eadem maneant in modificata, quæ erant in pura.

Hinc ſequitur eandem numero enunciationem poſſe eſſe, & vniuerſalem, & ſingularem: nec non affirmantem & negantem.

24 Poſsibile in vtrumque & impoſsibile ſeſe conſequuntur, vt priuatio & habitus.

Ergo impoſſibilis affirmationem ſequitur poſsibilis negatio: non contra

25 Tum demum ſcimus, cum cauſas, propter quas res eſt, cognoſcimus.

Ergo tum demum quodque ſcimus, cum eius definitionem perfectam tenemus.

26 Cognitio cauſæ quæ in demonſtratione adhibetur præſupponit reliquarum cognitionem.

Ergo ſubſtantiæ ſine demonſtratione, accidentia, non ſine demonſtratione ſciuntur.

27 Definitio vel eſt principium, vel finis demonſtrationis: & methodo aliqua inveſtigatur.

Non eſt ergo ipſa methodus, vel inſtrumentum notificandi.

28 Illud eſt ſimpliciter neceſſarium quod abſolute non poteſt aliter ſe habere.

1 Ergo præter primam cauſam nihil eſt ſimpliciter neceſſarium.

2 Ariſtoteles de rebus neceſſarijs ſæpe magis e conſuetudine vulgari, quam metaphyſica veritate loquitur.

29 Demonſtratio ab impoſsibili omnis (ſi Ariſtoteli credimus) eſt a poſteriore.

Dabit ergo veniam nobis doctiſſimus Zabarella, ſi Ariſtotelis authoritate freti ab eius interpretatione diſcedamus.

30 Accidentis eſſe eſt ineſſe.

Ergo de accidente quæſtio (quod ſit) & (an ſit) eſt eadem quæſtio.

31 Praxim eorum, quæ 8. Topicorum ab Ariſtotele præcipiuntur nuſquam, quod ſciam, niſi apud Platonem, invenire licet.

1 Ergo tota ea diſputandi ratio e ſcholis noſtris exulauit.

2 Eadem forma revocanda: vel eius interpretatio omittenda.

Theſes Ethicæ.

1 Illud eſt cujuſque diſciplinæ actiuæ ſubiectum, in quo efformando illa verſatur.

Quamob

Quamobrem & ipsum hominem, qua felix esse potest, & ipsius actiones, qua honestas in iis relucet, alio tamen, atque alio modo, disciplinæ de moribus subiectum statuimus.

2 Idem est totius ciuitatis, & cujusque hominis bonum.

Ergo Ethica & politica non sunt diuersæ disciplinæ, sed eiusdem partes, e quibus potior est Ethica quippe quæ alterius fundamenta, & causas complectitur.

3 Cuique animali propositus est aliquis extremus finis, in quo ejus optime esse constitutum est.

Ergo illud summum bonum, quod e naturalibus facultatibus originem ducit, non proprium est homini?

4 Summum bonum non potest cuiquam contingere, nisi in summa naturæ suæ perfectione existenti.

Ergo nemo in hac vita potest esse felix.

5 Felicitas non est homini naturalis, sed studio, labore, & industria acquiritur.

Ergo ad Physicum nullo modo spectat summi boni hominis contemplatio.

6 Virtus nec quid perfectum est, nec propter se expetitur.

Ergo non est summum bonum.

7 Honor est præmium virtutis studio, judicioque recte de virtute judicantium, ad aliquem delatum, vt ejus virtus emineat & exemplo alij ad virtutem incitentur.

1 *Ergo etsi honor non sit summum bonum: est tamen excelso & bene affecto animo in primis expetendus.*

2 *Multo tamen maiore studio bonorum ciuium in bene meritos ciues conferendus.*

3 *Nec malo nec puero honor haberi debet.*

4 *Nec qui a malis: nec qui ab imperitis habetur honor est.*

8 Felicitas hominis a virtute est, & in [illegible] posita, hominis naturæ consentanea, quam sequitur sincera animi voluptas.

Ergo omnium Philosophorum de felicitate veræ sunt sententiæ sano modo intellectæ.

9 [illegible] non solum est recte agere, sed & calamitatibus non opprimi.

Ergo [illegible] quæ est felicitas, non tantum est in Categoria actionis, immo in nulla vna potius cum sit quid e pluribus aggregatum.

10 Summum hominis bonum simpliciter est, quod maximam purissima voluptas sequitur.

1 *Ergo perfectionem adipisci, & re maxime desiderabili & amabili fruit.*

2 *Cum Deo suo principio coniungi eoque frui vtpote optimo pulcherrimo adeo supra omnia amabili.*

jectum formale, cum interim ſubjectum & attributum materiale, eadem maneant in modificata, quæ erant in pura.

Hinc ſequitur eandem numero enunciationem poſſe eſſe, & vniuerſalem, & ſingularem: nec non affirmantem & negantem.

24 Poſsibile in vtrumque & impoſsibile ſeſe conſequuntur, vt priuatio & habitus.

Ergo impoſſibilis affirmationem ſequitur poſsibilis negatio: non contra

25 Tum demum ſcimus, cum cauſas, propter quas res eſt, cognoſcimus.

Ergo tum demum quodque ſcimus, cum eius definitionem perfectam tenemus.

26 Cognitio cauſæ quæ in demonſtratione adhibetur præſupponit reliquarum cognitionem.

Ergo ſubſtantiæ ſine demonſtratione, accidentia, non ſine demonſtratione ſciuntur.

27 Definitio vel eſt principium, vel finis demonſtrationis: & methodo aliqua inveſtigatur.

Non eſt ergo ipſa methodus, vel inſtrumentum notificandi.

28 Illud eſt ſimpliciter neceſſarium quod abſolute non poteſt aliter ſe habere.

1 Ergo præter primam cauſam nihil eſt ſimpliciter neceſſarium.

2 Ariſtoteles de rebus neceſſarijs ſæpe magis e conſuetudine vulgari, quam metaphyſica veritate loquitur.

29 Demonſtratio ab impoſsibili omnis (ſi Ariſtoteli credimus) eſt a poſteriore.

Dabit ergo veniam nobis doctiſſimus Zabarella, ſi Ariſtotelis authoritate freti ab eius interpretatione diſcedamus.

30. Accidentis eſſe eſt ineſſe.

Ergo de accidente quæſtio (quod ſit) & (an ſit) eſt eadem quæſtio.

31 Praxim eorum, quæ 8. Topicorum ab Ariſtotele præcipiuntur nuſquam, quod ſciam, niſi apud Platonem, invenire licet.

1 Ergo tota ea diſputandi ratio e ſcholis noſtris exulauit.

2 Eadem forma revocanda: vel eius interpretatio omittenda.

Theſes Ethicæ.

1 ILlud eſt cujuſque diſciplinæ actiuæ ſubiectum, in quo efformando illa verſatur.

Quamob

Quamobrem & ipsum hominem, qua felix esse potest, & ipsius actiones, qua honestas in iis relucet, alio tamen, atque alio modo, disciplinæ de moribus subiectum statuimus.

2 Idem est totius ciuitatis, & cujusque hominis bonum.

Ergo Ethica & politica non sunt diuersæ disciplinæ, sed eiusdem partes, e quibus potior est Ethica quippe quæ alterius fundamenta, & causas complectitur.

3 Cuique animali propositus est aliquis extremus finis, in quo ejus optime esse constitutum est.

Ergo illud summum bonum, quod e naturalibus facultatibus originem ducit, non proprium est homini?

4 Summum bonum non potest cuiquam contingere, nisi in summa naturæ suæ perfectione existenti.

Ergo nemo in hac vita potest esse felix.

5 Felicitas non est homini naturalis, sed studio, labore, & industria acquiritur.

Ergo ad Physicum nullo modo spectat summi boni hominis contemplatio.

6 Virtus nec quid perfectum est, nec propter se expetitur.

Ergo non est summum bonum.

7 Honor est præmium virtutis studio, judicioque recte de virtute judicantium, ad aliquem delatum, vt ejus virtus emineat & exemplo alij ad virtutem incitentur.

1 *Ergo etsi honor non sit summum bonum: est tamen excelso & bene affecto animo in primis expetendus.*

2 *Multo tamen maiore studio bonorum ciuium in bene meritos ciues conferendus.*

3 *Nec malo nec puero honor haberi debet.*

4 *Nec qui a malis: nec qui ab imperitis habetur honor est.*

8 Felicitas hominis a virtute est, & in [illegible] posita, hominis naturæ consentanea, quam sequitur sincera animi voluptas.

Ergo omnium Philosophorum de felicitate veræ sunt sententiæ sano modo intellectæ.

9 [illegible] non solum est recte agere, sed & calamitatibus non opprimi.

Ergo [illegible] quæ est felicitas, non tantum est in Categoria actionis immo in nulla vna potius cum sit quid e pluribus aggregatum.

10 Summum hominis bonum simpliciter est, quod maxima purissima voluptas sequitur.

1 *Ergo perfectionem adipisci, & re maxime desiderabili & amabili fr[illegible]*

2 *Cum Deo suo principio coniungi eoque frui vtpote optimo pulcherrimo adeo supra omnia amabili.*

11 Virtus perfecta in definitione felicitatis non vnam aliquam virtutem significat, quæ cum reliquis collata perfecta dicatur: sed omnes virtutes non inchoatas, sed jam perfectas: vt felicitas non sit posita in officijs mediis (vt ait Cicero) sed in perfectis.

1 Frustra ergo quæritur, quænam sit hæc virtus perfecta.

2 Nec recte statuitur iustitia vniuersalis nisi ea omnium virtutum cumulum significet.

12 Moralis Philosophus, quoad potest totum hominem felicem reddere contendit, nec felix mea opinione, & grauissimorum Philosophorum, qui non & possit, & velit, vbi per necessaria negotia licet se ad otium, & optimarum rerum contemplationem (vt Africanus ille,) conferre.

Ergo non tantum est moralis Philosophi de felicitate actiua: sed & contemplatiua agere, præsertim cum hæc etiam actio animi sit secundum virtutem.

13 Vt finem non intellectum nemo expetere potest, ita voluntas ad media ignorata exquirenda mentem sæpe suscitat.

Ergo non modo intellectus voluntatem: sed & voluntas intellectum plerumque monet.

14 Actionum humanarum principium est appetitus: qui totus fere ab affectibus regitur.

Ergo Philosophia moralis tota fere versatur in affectibus recte componendis: qui tum recte componuntur, cum a ratione non dissentiunt: & secundum virtutem viuere nihil aliud est, quam naturæ conuenienter viuere.

15 Affectus sunt virtutum materia.

Ergo perperam perturbationes appellantur, nisi forte intelligantur virtute nudari.

16 Affectus vel incitantur & intenduntur: vel retrahuntur & remittuntur pro diuersa corporis & potissimum cordis, & spirituum temperamento.

Ergo qui suscipit animum virtute imbuendum imprimis studere debet ne a vitioso corporis habitu nona affectibus vitiosis fomenta subinde suggerantur.

17 Nullus appetitus sine amore.

Ergo recte amare & odisse a teneris didicisse fons est, & origo omnis bonæ institutionis.

18 Vt affectus, ita ingenium cujusque ejusque omnes varietates a vario corporis, & spirituum temperamento pendent.

Quamobrem nobilibus ortos parentibus & ad virtutem capessendam, & ad

1 Ergo duæ rectæ se mutuo secantes vel faciunt quatuor rectos aut quatuor rectis æquales.

2 Et quæ sunt ad verticem sunt æquales.

3 Quotquot anguli in vno quouis puncto concurrunt sunt omnes simul sumpti quatuor rectis æquales.

11 Triangula lateribus duobus æqualia habent bases & angulos æqualibus lateribus comprehensos proportionales.

Ergo qui est basi maior angulo maior erit: & qui angulo basi etiam.

12 Cujusuis figuræ rectilineæ omnes anguli æquales sunt bis tot rectis quot ipsa continet latera seu angulos demptis quatuor.

Ergo cuiusuis figuræ rectilineæ omnibus lateribus productis ordinatim omnes anguli externi sunt æquales quatuor rectis.

13 In circulo angulus ad centrum duplus est anguli ad perepheriam si fuerit eadem perepheria bases angulorum.

Ergo omnes anguli in eodem circuli segmento sunt æquales.

14 Triangulorum similium latera sunt proportionalia.

Ergo quam rationem habet radius ad transuersarium, eandem habebit rei mensuratæ altitudo, excepta mensoris altitudine, ad distantiam inter mensorem & rem mensuratam.

Theses Astronomicæ.

Astronomiæ subjectum est cœlestis motus quatenus mensurabilis.

Ergo iudiciaria, quæ appellatur, astronomiæ pars non est.

2 Cæli duo sunt præcipui motus, primus, & secundus.

Ergo Astronomiæ duæ sunt partes principales Spherica & Theoricæ.

3 Primus motor cum absque magnitudine, & contactu moueat omnes pariter orbes immediate, & eadem opera ab oriente in occidentem mouet.

1 Ergo motus ab oriente in occidentem non minus naturalis est orbibus inferioribus, quam primo mobili.

2 Nec motus planetarum ab oriente & occidente distinguendi sunt differentijs naturali & non naturali, *sed* proprio & communi.

4 Vt via lactea, aliæque cælestes apparentiæ totum orbium cælestium corpus in orbem moueri documento sunt ita eadem lunæ facies semper nobis aduersa eundem situm seruans stellas libere moueri ostendit.

Ergo stellæ partim libere partim fixæ cum suis orbibus mouentur.

5 Solem calore suo in hæc inferiora agere, & lunam humidis omnibus dominari sensus, & experientia docent.

Ergo cœlum non niſi motu ſuo, in hæc inferiora agere, minus verum eſt: imo veriſſimum nullam in his terreſtribus motus actionem eſſe niſi quæ eſt per accidens, quatenus adducit & abducit & a nobis & a ſe invicem aſtra, quæ ſua virtute in hæc inferiora agunt.

6 Qui ſunt ſupra Solem planetæ propter immenſam a terra diſtantiam aſpectus diuerſitatem non ſortiuntur, Sol, Venus, & Mercurius, æquales motus ſeu periodos habent, nec omnes planetæ patiuntur eclipſin.

Ergo nondum inuenta aliqua una certa ratio, qua ordo omnium planetarum demonſtretur.

7 Corpora perſpicua non repercutiunt lumen, nec luminis tranſitum prohibent.

1 Non ſunt ergo aſtra perſpicua.

2 Non tantum denſitate a ſuis orbibus differunt ſed opaci corporis admiſtionem habere videntur, cum alio & alio colore lumen repercutiant.

3 Nec a ſe Lumen habere contra omnium conſenſum putandum eſt.

8 Ratio ſuperficiei globi ad maximum ejuſdem circulum eſt quadrupla, & area rectanguli comprehenſa ſub ſemidiametro & dimidiata circumferentia eſt æqualis ejuſdem circuli areæ.

Ergo rectangulus comprehenſus ſub toto diametro, & circumferentia alicuius circuli maximi eſt æqualis ſuperficiei globi cuius ille eſt maximus circulus.

9 Rectangulum ſolidum comprehenſum ſub ſemidiametro Spheræ & tertia parte ambitus ejuſdem æquale eſt ipſi Spheræ.

Ex his propoſitionibus & iis quæ docentur de ratione diametri ad circumferentiam circuli, facile eſt cognito terræ, vel cuiuſuis orbis cœleſtis ſiue diametro, ſiue ambitu & ſuperficiei, & ſoliditatis quantitatem inuenire.

10 Quanto a polo recedis, tanto proprius ad æquinoctialem accedis, & contra.

1 Ergo æqualis eſt diſtantia puncti verticalis ab æquinoctiali poli elevationi.

2 Ergo ſubducta ſolis meridiani altitudine per æquatorem decurrentis a tali quadrante inuenitur poli altitudo, & regionis quam habitas, latitudo.

3 Eadem inuenitur propter eandem rationem quouis die, ſi puncti ecliptice in quo ſol eo tempore eſt declinationem auſtralem meridionali ſolis altitudini addas, Borealem ab eadem ſubduxeris & ſic cognitam æquatoris altitudinem ab eodem quadrante ſubduxeris.

11 Quilibet duo arcus ecliptica extremis punctis æqualiter ab æquatore distantes æquales efficiunt cum Horizonte angulos.

Ergo in Sphæra recta quilibet duo arcus æquales æqualiter distantes ab aliquo punctorum siue Solstitialium siue æquinoctialium æquales habent ascensiones.

12 Ecliptica, & Horizon utpote circuli majores sese mutuo bifariam intersecant.

1 Ergo ecliptica quolibet puncto ascendente punctus oppositus descendit.

2 Quare in omni sphæra ascensio cuiuslibet signi est æqualis discensioni oppositi signi.

3 Vnde sequitur ascensionem & discensionem cuiuslibet signi simul iunctas esse æquales ascensioni & discensioni signi oppositi simul iunctis.

4 Nec non in Sphæra obliqua ascensionem cuiuslibet signi esse inæqualem eiusdem discensioni.

13 Si qua a principio Capricorni ad finem Geminorum discendunt, recte ab initio Cancri ad finem Sagittarij oblique: contra de ascensionibus judicandum.

Ergo crepusculum matutinum Autumnalibus mensibus, vespertinum vernis longius.

14 Vbique terrarum eadem est diei æstiui longitudo & noctis hybernæ sibi oppositæ, & quod alijs est nox, idem tempus alijs est dies.

1 Mirabili igitur æqualitate diuina prouidentia lucem, & tenebras dispensauit, ut nullus totius orbis locus sit, qui lumine solis vel ad horæ minutum diutius quam alius quiuis fruatur.

2 Hinc sequitur etiam non minus inepte quæri quæ Deus noctu, quæ interdiu fecerit, quam vere, ne an Autumno mundum creauerit, cum vt semper est & nox et dies, sic quod nobis est ver aduersum hemisphærium habitantibus sit Autumnus, sed qui hoc primum interrogarunt, Antipodas esse ignorabant.

15 Circa ver luna migrat a latitudine Boreali ad Australem circa Autumnum, vt plurimum, remigrat ad Borealem.

Ergo Solis, & lunæ defectus contingunt vt plurimum circa ver & autumnum.

16 Sol commoratur in signis borealibus octo plus minus dies diutius, quam in signis hibernis, & Luna, & sole in eodem situ existentibus eclipses solis inæquales esse obseruatum est: nec non solem majorem hieme quam æstate videri.

Ergo sol motu proprio non mouetur in orbe, cuius idem est centrum cum centro

17 Luna in eadem Eccentrici sui parte, nunc major nunc minor apparet, nunc breuiore, nunc longiore tempore in defectu est: reliqui vero planetæ nunc progredi in suis orbibus, nunc regredi aliquando etiam consistere videntur.

Ergo omnes Planetæ præter solem epicyclos habent.

18 Luna quo borealior est ejus declinatio, hybernior est.

Luna tertia supina tempestates præmonstrat.

19 Sol nunquam suo lumine destituitur: sed illud tantum videtur, quia eo nos destituimur.

Ergo quæ eclipsis solis dicitur, terræ eclipsis magis proprie dicenda est.

Theses Metaphysicæ.

1 METaphysicus considerat ens qua ens, & quæ ei insunt per se.

Ergo si quod est ens cui nec principia, nec affectiones conueniunt, non cadit sub entis nomen, vt est metaphysicæ subiectum.

2 Vera sapientia est: quæ omnium rerum primas causas cognoscit

Ergo Metaphysica.

3 Non necesse est sapienti singularia cognoscere.

Ergo Metaphysica tantum considerat communes affectiones, & causas entis generumque eius.

4 Bonum, verum, vnum, enti nihil superaddunt, & de ijs dicitur.

1 *Ergo ab ente non differunt realiter.*

2 *Ergo vnum quod est principium numeri non est affectio entis.*

5 Affectiones entis non conueniunt enti rationis, nisi qua reali inest.

Ergo non est ens vt ens est metaphysicæ subiectum.

6 Bonum est affectio communis omni enti.

1 *Ergo malum est mera priuatio.*

2 *Non existit nisi in bono.*

3 *Nullam causam habet: nec enti qua ens est conuenit.*

4 *Nec malum bono eiusdem generis inesse potest.*

5 *Malum per se non est intelligibile.*

7 Totum

10 Qualitates elementorum ſymbolæ ſunt ſpecie diuerſæ, facilioris, aut difficilioris tranſmutationis cauſa eſt, quod conueniunt, aut non conueniunt qualitatibus primis, ſed quod vel magis vel minus raritate, & denſitate conveniunt.

11 E duobus elementis mutuo in ſe agentibus non fit tertium, vt vult Ariſtoteles.

12 Sonus fit etiam ex contactu vnius corporis aerem percutientis, vt non ſit opus duobus corporibus inter quæ intercipiatur aer.

13 Sonus ſucceſſiue defertur ad organum: vt non ſit prout per medium defertur: ens intentionale ſed reale.

14 Quanquam non dantur ſpecies poteſtate intelligibiles abſtractæ a phantaſmatibus actu tamen intelligibiles dari neceſſe eſt.

15 Intellectus non intelligit ſingularia, qua talia.

16 Primum intelligibile non intelligitur, niſi a primo intellectu.

17 Vana ſunt quæ afferuntur ab Ariſtotele, cauſæ ſalſedinis maris.

18 Fontes ſunt partim e vaporibus in aquam reſolutis, partim e mare per ſubtiliſsimos meatus ad terræ ſiccitatem, & meatuum vacuitatem prohibendam fluunt, donec non ſit quo vlterius tendant ita collectæ in ſcaturigines tandem ſua grauitate relabuntur: hinc in iugis & radicibus montium frequentiores fontes aprent.

19 Non dantur in puris Mathematicis definitiones tantum ſitu terminorum, a demonſtratione differentes.

FINIS.